

- 9 Suspectos de crimine falsi detineri, & carceri mancipari posse, quando verum sit.
- 12 Falsi suspicio sumpta ex vitio latenti scripturae publicae nulla est.
- 13 Notarium in suo munere, & officio, non errasse creditur.
- 14 Instrumentum publicum, magnam pro se presumptionem habet.
- 15 Instrumento fides adhibetur, donec 7. sive probeatur contrarium.
- 16 Instrumentum tanquam suspectum de falso volens arguere, pro qualitate causae probare debet.
- 17 Instrumentum continens non verisimile, suspectum sit, et in causa civili nullam faciat fidem.
- 18 Instrumentum confectum à Notario consueto facere falsa instrumenta, non probat in civili, nisi comprobetur testibus. Idque quomodo accipiendum, n. 19.
- 20 Falsi suspicio circa scripturam privatam, quomodo arguatur.
- 21 Vitium patens, & visibile in quo differat à latenti.
- 22 Falsi suspicio circa testes quomodo arguenda.

QVAESTIO XCIX.

QVAERO nonagesimonononò, quid & quantum operatur praesumptio, coniectura, suspicio, vel indicium falsi in ipsa causa falsi, quae vel civiliter, vel criminaliter tractatur? Singularem, egregiamque hanc iuris quaestionem hoc in loco explicare volui cum huc pertineat, et si de ipsis praesumptionibus, & coniecturis falsi disputatus sim in fr. lib. 5. praef. 19. Et haec quidem in re, variae, & admodum pugnantibus, ac perplexae extant interpretationes. Cum multi scripserint et operari solum in civilibus, ne scilicet fides adhibeatur, vel scripturae, vel testibus, alij vero operari etiam, ut falsi suspectus apprehendi, & carcerari possit. Alij, quod immo etiam torqueri. Alij, quod immo gravi poena damnari, plectique possit. Alij alia, quemadmodum has multorum opiniones commemorat Ant. Gab. lib. 7. conclusionum, in tit. de crim. concl. 6. Crediderim esse sic et distinguendum, quod aliquando suspicio praesumptioque falsi, versatur circa scripturam publicam, aliquando circa scripturam privatam, aliquando vero circa testes. Diferamus primum de scriptura publica, ut puta de instrumento, vel alia simili, cui de publico tributa est fides. Hac in re distinguendi sunt duo casus.

1 Primum est, quando in ipsa publica scriptura textat aliquod vitium patens, & manifestum, vel quia in loco substantiali apparet abrafio antiquae litterae, & alia repolita, vel cum apparet cancellatio, & aliter scriptum, vel aliud extat apparens vitium, quod in ipsa scriptura oculis ipsis cernitur. Haec vitia praesumptionem, & coniecturam, vel suspensionem falsi indicant, ut differemus in fr. lib. 5. praef. 20. Et haec quidem praesumptio, seu suspicio ex ipso apparatu vitio supra, operatur multos effectus. Quorum primus est, ut ipsius scripturae fides in dubium revocetur, atque ita nullam fidem faciat, donec demonstretur vitium illud vel abrafionis, vel cancellationis, errorem, vel bona fide commissum, vel sic abrafum, & recte scriptum. Et hoc illud est, quod scribitur Dd. nostri suspensionem et falsi haberi pro falsitate, quando causa est civilis hoc est tractatur civiliter, quando causa est civilis hoc est tractatur civiliter, quando causa est civilis

n. 61. lib. 2. & in conf. 45. n. 10. lib. 4. manifeste Alber. in conf. 99. nu. 2. loquens de hoc vitio visibili, & patenti, sic & Grat. in conf. 27. n. 9. in conf. 66. nu. 20. & in conf. 134. nu. 26. Natta in conf. 633. nu. 4. Ant. Gabr. in li. 7. conclusionum. in tit. de Criminalibus. in conclus. 6. nu. 16. Et his accedunt alij, quos referam infra in secundo casu, qui fortius id esse affirmant, quando vitium est latens, & invisibile in ipso instrumento, sed deinde coniecturis aliunde sumptis, vel testibus detectum aliquod vitium apparet. Et haec quidem vera sententia probatur in c. super eo. de crim. falsi, intelligendo, ut et loquatur de vitio patenti, sicuti à fortiori probat et tex. l. iubeamus. C. de prob. quo sancitum est, eos ut falsi suspectos esse detinendos, qui has suspectas scripturas in iudicium producant ij producentes detinentur, imo & puniuntur, ut dicemus infra, sequitur à fortiori dicendum illi scripturae fide adhibenda non esse, alioqui ille producens male detineretur, & puniretur. Et huius sententia ratio illa est afferri potest, quod illa fides, & bona illa praesumptio, quae quam lex habere solet de notario, publicoque scriptore tollitur vitio illo, quod in scriptura cernitur. Et propterea impeditur, seu suspenditur fides illa, quae ipsi publicae scripturae adhiberi solet. Quocirca ob vitium hoc patens, & visibile in testamento, impeditur visio illa in possessionem, secundum dispositionem l. vlt. C. de edicto D. Adr. tol. sicuti late scripsi in commentarijs de adipiscenda possessione in quarto remedio. n. 699. Et haec quidem intelliguntur, donec & quovisq. praesumptio seu suspicio illa, ex hoc vitio exorta, diluatur contrariis probationibus, quibus fides ipsius instrumenti confirmetur, quemadmodum manifeste statuerunt Imp. in d. l. iubeamus, cuius verba haec sunt, iubeamus oes, qui scripturas comminiscuntur, cum quid in iudicio promiserint, nisi ipsi astruxerint veritatem, ut nephariae scripturae reos, & quasi falsarios esse detinendos, dixerunt Imp. nisi ipsi astruxerint veritatem, datur ergo facultas producenti scripturam hanc sic abrafam, sic suspectam, probandi, & confirmandi eius fidem, & veritatem. Id quod manifeste affirmantur in d. l. iubeamus, gl. Cast. n. 2. & alij. Curt. Sen. in conf. 74. super memorata. col. pen. & alij multi ex supra commemoratis, & clarè Natta in d. conf. 63. n. 8.

2 Secundus est effectus, et ut procedi possit criminaliter aduersus producentem scripturam hanc suspectam, vel contra ipsam notarium, & publicum scriptorem, atque ita accusari, vel inquiri poterunt. Hoc admittunt Cast. Cō. & reliqui in d. l. iubeamus. Grat. in conf. 90. lib. 3. & argumento à fortiori satis probatur, quia si locus esse potest torturae, & poenae, ut dicemus statim, sic multo magis inquisitioni, qua ad ea deinde perveniuntur.

3 Tertius est effectus, ut non solum accusari, vel inquiri possint producentes, & scriptores praedicti, sed et prohiberi, & carcerari. Ita statuerunt Imp. in d. l. iubeamus, & Lucius Pontifex in c. super eo. in fine. de crim. falsi. Et manifeste sic affirmantur Arch. in c. in memoria. nu. 3. d. l. 19. Alex. in conf. 70. col. 1. l. 1. & conf. 205. n. 1. in 9. Dec. in c. porrecta. in 3. notab. de confir. vtili, vel inutili, & in conf. 165. nu. 5. ver. solū superest. Grat. in conf. 34. n. 15. & in conf. 60. nu. 17. lib. 2. Rubeus in conf. 15. in fin. Soc. lun. in conf. 61. nu. 1. l. 2. Mantua in conf. 203. n. 3. l. 1. & in conf. 208. nu. 82. l. 1. & admittit Natta in conf. 633. n. 2. Qui intelligit, & recte scdm gl. & Doc. in d. l. iubeamus. quoniam praesumptio, & suspicio haec provenit ex vitio patenti, & manifeste, sicuti ex abrafura, cancellatione, & simili. Atque ita sentisse Goffred. Hostien. & alios antiquos scripsit Natta. Et quaquam Imp. in d. l. iubeamus, mandet, atque ita cogat magistratus, detinere, & carcerare hos suspectos, atque intelligo hoc verum esse, quoniam praesumptio, & suspicio vehementer ipsi iudici videtur, alioqui necesse non habet suspectum prohiberi facere, sed in eius arbitrio, & potestate positum est, sicuti probat tex. in c. in memoriam

riam 19. dist. ibi. penes episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem, aut in aliam detradat custodiam. Nam fieri potest, ut leuè sit abrafionis, vel cancellationis vitium, quo non sit magna suspicio.

4 Quartus est effectus huius praesumptionis, & suspensionis ex vitio patenti ducta, et ut torqueri et possit is suspectus. Ita Alex. in conf. 77. n. 4. ver. ex his lib. 1. Fel. in ca. cum Ioannes. nu. 37. de fide instr. Grat. in conf. 60. n. 4. lib. 2. & Paris. in conf. 162. in fi. lib. 4. Crediderim hac in re multum esse tribuendum arbitrio iudicis, qui recto suo iudicio habet considerare, quam vrgens sit indicium, & suspicio, vel quam leuis. Nam ita vrgens esse posset, ut accusatum illum quaestionibus subijcere liceret, posset etiam esse tam leuis, ut torqueri non deberet, iuxta ea, quae scripsimus sup. in q. 89.

5 Quintus est effectus huius praesumptionis, & suspensionis, nix exorta ex vitio patenti scripturae, ut si is suspectus, nisi se purgauerit, puniri etiam possit. Ita Goffred. in d. l. iubeamus. C. de probat. Spec. in tit. de instr. edit. §. restat videre. col. 1. Abbas in c. porrecta. nu. 3. de confir. vtili vel inuti. & ibid. Dec. col. 1. ver. sic. effectus enim quifisc, & Bal. in l. presbyteri. nu. 12. C. de episc. & cler. l. in cō. fil. 168. n. 2. l. 4. Grat. in conf. 60. n. 8. l. 2. & Soc. lun. in conf. 39. n. 44. & in conf. 1. col. 2. l. 2. & his accedunt illi, qui idem scripserunt de vitio latenti, & invisibili scripturae, quando tamen detectum fuit coniecturis aliunde quae ex ipsa scriptura sumptis, ut dicemus in 2. casu. Ceterum traditio hanc intelligenda est quando praesumptio, & suspicio satis vehemens est, secus si leuis. Nam tunc nulla iudici debet poena. Ita intelligo Dec. in conf. 175. n. 5. ver. vnde non obstat, & in conf. 132. n. 19. Cur. lun. in conf. 64. n. 5. in conf. 132. nu. 19. & Soc. lun. in conf. 9. col. 1. n. 7. l. 3. & manifeste Paris. in conf. 28. n. 59. lib. 2. Cum dixit traditionem illam Arch. in d. c. in memoria, procedere, quando suspicio non est leuis, & friuola, sentit ergo Paris. suspensionem friuolam, & leuè non efficere, ut is suspectus puniri possit. Porro quoniam hic ob suspensionem puniri poena erit extraordinaria, sicuti scripsi ex multorum sententia l. 2. de arbitr. iud. casu 3 14. n. 7.

6 Secundus est casus huius disputationis, quando instrumenti, publicae scripturae vitium est latens, & (ut nostri appellant) invisibile. Hoc sane casu, ipsa scriptura praesumitur quod scilicet sit vera, & careat omni vitio, cum credatur notarium et in suo munere, & officio non errasse, ut in fra sequenti lib. in praef. 64. explicabimus, sic nec quemquam alium, qui personam publicae scriptoris sustinet, deliquisse existimetur. Et propterea dice re solemus, in instrumentum et magnam pro se habere praesumptionem, ca. Abbate. de verb. sign. & multis comprobabimus sublequenti lib. in praef. 28. quo loci dicimus,

7 Adhibenda esse fide in instrumento, donec & quovisque cōtarium probetur. I. cum precibus, C. de prob. No. n. hic apparet aliquod vitium, quo fides vel tollatur, vel debilitetur. Ut propterea fide facit, donec probeatur contrarium. Ita de vitio hoc latenti scripsit Castr. in d. l. iubeamus. nu. 2. C. de probat. & in conf. 102. Ponitur in facto. col. vlt. lib. 2. & Cur. lun. in conf. 166. n. 6. & manifestus explicat Natta in conf. 633. nu. 8. Quare qui vult argue re et in instrumentum hoc tanquam suspectum de falso, pro qualitate causae probare debet. Si de falso arguit, ut puniatur, concludentes admodum, ac claras habere debet probationes, ita intelligo gl. in l. iurificentium. §. quod per ff. de pactis. & ibid. Bald. & Taf. nu. 10. qui alios recenset affirmantes, quo ad arguendum instrumentum de falso, probationes debent esse necessario concludentes. Et id scripserunt alij multi, quos commemorabimus in fr. lib. 5. praef. 29. vbi differemus de coniecturis circa falsitatem. Et ratio huius sententiae est, quia hic agitur criminaliter & de poena indicenda, ob id probationes debent esse luce clariore. l. vlt. C. de prob. Et in specie sic consideravit

Nat. in conf. 633. nu. 9. auctoritate Dec. in conf. 189. col. 1. qui sic respondit in suspicione falsi, aduersus eum, qui accusatus fuerat, pduxisse falsos testes. Et hoc in casu, probationes debent concludentes, quae ex praesumptione colliguntur, ut scripsit Dec. in conf. 189. col. 1. ver. 2. respondetur. in conf. 615. nu. 10. in fin. & in c. porrecta. col. 1. in fi. de confir. vtili vel inutili, & idem respondit Grat. in conf. 60. nu. 18. lib. 2. et si idem Grat. in conf. 151. nu. 17. eodem lib. 2. de hac Decij traditione dubiter.

8 Si vero is, qui falsi suspensionem arguit contra instrumentum, publicamque scripturam id facit, ut in causa ipsa civili, & pecuniaria nulla fide faciat, satis erunt leniores probationes, & praesumptiones, quam illa requisita in causa criminali. Ita in specie respondit Nat. in d. conf. 633. nu. 9. qui nu. 10. recenset Bal. in l. scripturae. col. 2. ver. quaedam sunt scripturae. C. de fide instr. affirmantem, quod quoniam in instrumentum continet non verisimile, adeo redditur suspectum, ut in causa ipsa civili nullam fidem faciat, commemorat et Castr. in l. vlt. in princ. C. de probat. qui docuit, quod si producitur et instrumentum cofectum a notario, qui consuevit coficere falsa instrumenta, non probat in civili, sed repellitur, nisi testibus comprobetur. Et sententiam hanc rone comprobant Alex. in conf. 77. n. 6. lib. 1. Cur. lun. in conf. 178. n. 13. qui verè responderunt de instrumento, quod dicebatur suspectum vitio latenti testibus tñ, & coniecturis detecto, & comprobatur manifeste Natta in conf. 633. nu. 13. sic etiam de vitio latenti respondit Neuz. in conf. 27. nu. 13. & nu. 25. & quoniam subest haec suspicio, debet index in dubio non adhibere fidem in instrumento. Ita post alios respondit Alba in conf. 99. nu. 7. Ceterum praedicta traditio, & doctrina intelligitur, quoniam praesumptiones sunt satis vrgentes, secus si leues, friuolae, & temerariae. Ita sentit Paris. in conf. 28. nu. 50. lib. 2. & manifestius Natta in d. conf. 633. nu. 16. qui sic declarat, & intelligit Inn. lo. Andr. in c. 1. in fine. de fide instr. sicutiam intelligit Abb. in d. c. 1. nu. 16. & ita pariter est declarandus Boss. in tit. de falsis. n. 6. d. d. Inn. securus est. Idè respodit Surd. in conf. 173. n. 60. Et poena det index considerare qualitatè vitij, ut adducatur ad finem per illos gradus, quos considerat Bart. in l. admonedi. n. 24. ff. de iureiur. & attigit in spē vno verbo Cur. lun. in cō. 132. nu. 10. in fi. & hos gradus explicauimus supra in q. 7. Estque obseruandum, quod quando his coniecturis, & praesumptionibus detectum fuit vitium aliquod in ipsa scriptura non visibile, & latens in ipso instrumento, is suspectus puniri poterit, sicuti sentit commemorati Dd. clare Cur. Sen. in conf. 74. super memorata. col. vlt. què securus est Ripa in c. 2. nu. 36. de rescript.

9 De praesumptione seu suspicione falsi, quae versatur circa scripturam et priuatam, idem quod de publica censuerunt Alex. in conf. 77. nu. 1. in fine lib. 1. Dec. in consilio 615. & Curt. lun. in conf. 132. nu. 10. quando. s. ipsi priuatae scripturae, legis vel statuti dispositione, eadem adhibetur fides, quae solet praestari ipsi publicae. Quocirca distinguendum ita est hoc in casu, ut dictum fuit de ipso instrumento, ut. s. primum videat, & consideret prudens causa index, an ipsa scriptura, vel instrumentum contineat vitium aliqd visibile, & patens, ut abrafionis, cancellationis, varietatis manus, vel similis, & tunc habebit illa suspensa donec & quovisq. is, qui produxit testibus, vel alijs modis, ita comprobet veritatè illius instrumenti, & script. ut cognoscere possit vitium illud nil obesse. Si vero is, pducens nihil probauerit, considerabit quale illud est vitium, hoc est, si tā graue ut producentè, illiq. scripturis, & instrumento ventè inquirere, carcerare, ac punire possit, obferuando illos gradus praesumptionis, & suspensionis, & indiciorum, quae ex Bart. in l. admonendi, & alijs explicauimus supra in q. 7. si verò videbit index instrumentum, & scripturam non habere aliqd vitium visibile, & patens, ei adhibebit, fidèque praestabit, donec & quovisq. is qui eam Tomus Primus. H 3 pugnat,

pugnat ob aliquod vitium latens, & inuisibile, vt puta non obseruatum stylum, & consuetudinem, vel quod non contineat verisimilia, vel ob aliud simile vitium, quod oculis cerni non potest, illud probet. Eo autem vitio sic probato, per eisdem gradus præsumptionis, iudicij, & suspitionis progredietur iudex ad inquisitione, carcerationem, torturam, & pœnam, sicuti in casu vitij patens, vt diximus supra. In hoc enim (si recte cõsideramus) solo, differt vitij patens, & visibile à vitio latenti, & inuisibili, quod patens onerat ipsum producentem, vt scripturam instrumentumque comprobet alijs probationibus diluendo vitium ipsum. Vitium verò latens, & inuisibile onerat eum, contra quem facta est productio, vt ipse vitia ipsa probet, & detegat. Vtroq; tamē in casu saluæ sunt exceptiones, & defensiones tam producentis, quam eius contra quem facta est productio.

De præsumptione, seu suspitione falsi, quæ versantur circa testes, responderunt Dec. in consil. 189. & Curt. Jun. in consil. 64. nu. 5. Illis enim suis in casibus agebatur de fide adhibenda, vel non adhibenda ipsis testibus. Vitium tamen hoc quod circa testes versatur, latens, & inuisibile est, cum vix vox eorum sit, non autem scriptura, cuius vitium oculis cerni potest. Si enim attestaciones in scriptis redactæ essent, non de testibus ipsis, sed de scriptura actorum disputatio esset.

Præsumptiones, & suspitiones, quid, & quantum operantur, in crimine hæresis, breuis, & clara explanatio.

S Y M M A R I V M.

- 1 Suspitiones in crimine hæresis, secundum tres casus distinguuntur.
- 2 Suspicio leuis non est sufficiens, vt quis habeatur pro hæretico.
- 3 Iudicium temerarium est, cum quis iudicat de his, quæ dubia sunt propter leues coniecturas.
- 4 Inquisitori quando etiam non liceat procedere ad interrogandū, quid suspectus de fide sentiat.
- 5 Hominem honestum in iudicium trahere, ob leuem suspitionem, eumq; de fide interrogare, graue, & iniustum videri.
- 6 Purgatio canonica quem habeat effectum.
- 7 Suspicio vehemens in hæresi quæ sit. Et quos habeat effectus, num. 11.
- 8 Suspicio vehemens oritur etiam ex grauioribus criminibus longe ab hæresi distantibus.
- 9 Commiscens se cum sanguineis, affinis, monialibus, cõmatribus, vehementer redditur de hæresi suspectus.
- 10 Iuramenta scelerata facere solitus, de hæresi valde redditur suspectus.
- 11 Relapsus in hæresim vt quis dicatur, quid requiratur.
- 12 Purgationem canonicam, vel abiurationem acceptare recusans, excommunicatur.
- 13 Suspicio violenta in hæresi quæ sit, & quem effectum habeat, num. 15.

Q V A E S T I O C.

QVAERO centesimo, & vltimo, præsumptiones vel suspitiones quæ sufficiant, ac quid operentur in crimine hæresis? Hac in disputatione, secutus communis aliorum traditiones, distinguo tres casus, quemadmodum tres sunt suspitionis species, leuis, vehemens, & violenta.

Primus itaque est casus, cum agitur de leui suspitione. Est leuis suspicio, quando leuiter suspicamur, sicuti illa quæ prouenit ex signis exterioribus operū aut verborum, ex quibus capitur coniectura, qua concludi potest non quidem frequenter, sed raro, seu casu, quod talia di-

gens, vel faciens, hæreticus sit, idq; deducitur leui cõsequencia, vt puta, si argumemur, Petrus deierat frequenter, ergo hæreticus est. Ita ex sententia Gerf. de protest. confid. vt. tradit Simanc. in comment. cathol. in lit. tit. 50. n. 24. Est etiam exemplum, vt si quis vitā viuat, moresque habeat dissimiles à Christiane viuentibus. vt declarat Episcopus Balneoreg. in iud. inquis. in verbo, suspicio, nu. 2. Prætereo hic alia exempla, quæ à nostris commemorari solent, & quæ nos suo loco explicabimus. Hæc leuis suspicio non est sufficiens, vt quis habeatur pro hæretico, c. excommunicamus, de hæret. in 6. Non enim mouere hæc debet animum constantis viri, ad suspicandū tā graue crimen, sed potius ad interpretandū in partem benigniorem. c. estote, de regul. iur. Et huc facit qd ait Cic. scribens ad Q. fratrem, his verbis (vt quique est vir optimus, ita difficillimè esse alios improbos suspicatur.) Hæc ille. Accedit, quod suspicio de homine Christiano ex leuibus signis, haud leuè peccatum est. Cū talis suspicio sit actus voluntarius à recta rōne dissonans. Neque enim ex leuibus signis moueri debemus aduersus catholicos, quibus iniuria fit, si malam de eis opinionem habuerimus, absq; iusta, & probabili causa, vt scribit D. Tho. 2. 2. q. 60. art. 2. & Caiet. in Summa, in verb. suspicio. Et prætereo iudicium temerarium est, cum quis iudicat de his, quæ dubia sunt, propter aliquas leues coniecturas. Ita D. Tho. & Caiet. & illis accedunt Soto libr. 3. de iust. & iur. q. 4. art. 3. & in specie Siman. in d. tit. 50. nu. 28. qui quidem num. 29. subiungit, reiecta opinione Afflic. & Carrer. nec est licere inquisitori procedere ad interrogandū, quid suspectus iste sentiat de fide catholica. Quod quidem honestum hominem in iudicium trahere ob leuem suspitionem, eumq; interrogare de fide, ac dubitare, an catholicus sit, graue quidem, & iniustum videtur. Hoc tamen intelligit, & declarat Simanc. nisi hic leuiter suspectus esset persona vilis, abiecta, vel infamis. Nam in iudicium vocari, & interrogari poterit, quæ sententiam recipit & Io. Royas in tract. de hæret. p. 2. n. 20. Prætereo si contra hunc leuiter suspectum laborat mala fama, compelli poterit, vt canonica purgatione se tueatur, vel adhiberi poterit abiuratio de leui suspitione, vt in c. excommunicamus, de hæret. ibi, qui aut inuerti fuerint, & c. & in c. accusatus, de hære. in 6. Et huc parit effectum purgatio, vel abiuratio, si deinde incidat in hæresim, vt grauius puniatur, tametsi dici non possit relapsus, vt in d. c. accusatus, sancitum est, & tradit Balneoreg. in d. iud. inquis. in verb. suspicio, n. 6.

Secundus est casus, quando agitur de suspitione vehementi. Hæc sanè suspicio est, quæ sumitur ex signis exterioribus operū, aut verborum, ex quibus concludi solet frequenter, & vt in pluribus, quod talia dicens, vel faciens sit hæreticus, vt si quis propositiones hæreticas publicè asserat, vel adoret sepulchrum Mahumeti. Nā etsi possibile sit, qd ista sine errore intellectus, aut sine pertinacia dicantur, aut fiant, ecclesia tamen, quæ iudicat exteriora, præsumit vehementer huiusmodi homines hæreticos esse, nisi fortè purgauerint seipos, probando ignorantiam, timorem, vel fictionem, & ostendendo se correctioni paratos. Hęc Gerf. in eo. trac. de protest. quæ secutus est Simanc. in d. tit. 50. n. 25. qui quidem nu. 30. subiugit, suspitione quoq; vehementè foriri ex grauissimis criminibus longe ab hæresi distantibus. Nam qui catholicus est, Deum timere, & ab huiusmodi criminibus abstinere solet. Vnde qui cum feminis, & consanguineis, affinis, monialibus, cõmatribus, alijsq; id genus facillè commiscetur, non immeritò vehementer suspectus censeri potest, idq; (ait Simancas) auctoritate Apostoli ad Romanos, 1. & ibi Chryl. serm. 3. & D. August. ad fratres in Eremo, serm. 47. Ita quoq; valde suspectus de hæresi est, qui iuramenta scelerata solet facere, vt scriptū reliquit Ias. in l. 3. Jurari. n. 1. de iureiur. Prætereo hic cõ-

tera exempla vehementis suspecti de hæresi, quæ quidem commemorantur à Siman. præcit. loco, num. 31. & 32. & à Balneoreg. in d. verb. suspicio, num. 10. cum multis subsequenter. & nos vberius infra in 5. præsumpt. explicabimus. Hæc vehemens suspicio operatur, vt suspectus iste de ipso crimine possit interrogari, non tamen poterit tanquam hæreticus damnari, cum nullus etiam pro vehemēti suspitione debeat de ipso crimine damnari, cap. literas. §. vt. de præsumpt. vbi Felyn. num. 22. qui alios recenset, quod intelligo poena ordinaria, cum extra ordinem pro iudicis arbitrio puniri quidem possit, sicuti in eo c. literas. §. vt. illi vehementer suspecto, in dicta fuit aliqua penitentia, quæ quidem imposita non fuisse, nisi aliquo modo deliquisset, & post multos scripti in consil. 82. num. 146. hunc vehementer suspectum puniri poena pecuniaria. Huic etiam suspecto iniungi poterit, quod purget se purgatione canonica, vel quod abiuret de vehemēti hac suspitione, omnem generalem hæresim, & præsertim illam, de qua suspectus est, cap. accusatus, de hæret. & c. inter sollicitudines, de purgat. canon. & scribunt multi relati à Felyn. in cap. literas, num. 21. de præsumpt. Hic suspectus, si deinde in hæresim verè incidat, non tamen censetur relapsus. Cum ad hoc, vt quis relapsus dici possit, requiratur, vt semel saltem lapsus fuerit ad aliquam hæresim. Ita Balneoreg. in iudiciali inquis. in verb. suspicio, num. 7. & 8. Io. Royas in loco supra citato, num. 32. Quam sententiam

declaravi in consil. 82. num. 147. & num. 152. ibi dicta non repeto. Illud quoque annotandum hic est, ex eodem Balneoreg. præcitato in loco, num. 8. quod si vehementer suspectus purgationem, vel abiurationem acceptare recusauerit, excommunicabitur, in qua si per annum permanerit, tanquam hæreticus damnabitur. cap. excommunicatus, de hæret.

Tertius est casus, quando agitur de suspitione violenta. Est sanè violenta suspicio, quæ magis efficaciter, quam illa vehemens insurgit, ex signis exterioribus operum, vel verborum. Et Philipp. Franc. in cap. cum contumacia, in glof. 2. in fin. de hæret. in 6. scriptum reliquit, suspitionem, vel præsumptionem violentam induci, quando post vehementem alia primam confirmas superuenit. Quocirca qui post abiuratum suspitionem vehementem in aliam vehementem reincidit, violenter suspectus appellatur, sicuti annotauit Balneoreg. in d. verbo suspicio, num. 28. qui & de his alia scripsit, & suo loco nos explicabimus.

Hic autem vehementer suspectus puniatur quidem vt hæreticus, d. cap. cum contumacia. Non tamen censetur propriè hæreticus, sed præsumptus tantum, sicuti ex sententia Gem. in d. c. cum contumacia, annotauit Balneoreg. vbi supra, num. 30.

Hæc habui, quæ ad hanc questionum centuriam scriberem.

F I N I S.